





Opus vor. 173

*Ad Virum,*

*Amplissimum, Consultissimum, Doctrinâ  
& multiplici rerum usū Specta-  
tissimum,*

Dn.

# MATTHÆUM Braunt/ſ C.

Sereniss. Dn, Elector. Saxon. non ita pridem, præter  
votum, Redituum et Ratiociniorum  
Præfectum confirmatum,

*Dominum, Mecœnatem, & Fautorem  
aeternum honorandum,*

Schediasma

M. Joh. Bohemi, in Electorali  
Dresdâ Rectoris-

¶  
Grammate Montano,  
Anno 1648.



**E**T quare dubites parere, Patrone, vocanti?  
Omnem te præter spem Deus ipse vocat.  
*Cede in iusta DEI, cunctorum in vota Bonorum  
Qui vocat, & vires suppeditare potest.*  
**Cede in iusta DEI.** Princeps vocat. anne recuses?  
Magnum est posse Duci, posse placere Deo.  
**I,** quò te virtus, BRAUNI, & Deus evocat. Esto,  
*Divelli durum est, est ubi fida Domus.*  
*Et cognatus amor, grave munus & arduum Honoris;*  
*Copia ubi rerum est; suave sodalitium.*  
*Excesso illa animo simul omnia lingue. Fideles*  
*Rursum fida novos & tibi Dresdena dabit.*  
**I,** quò vult Princeps. Scis justum à Principe jussum  
*Esse DEI vocem. Robur Jova dabit.*  
*Non sine præsenti Superum, cœliq; favore,*  
*Non sine divini Numinis auspicio:*  
*Unde fluit, quodcunq; beat, quodcunq; salubre est,*  
*Te legit ELECTOR SAXO PATER PATRIÆ.*  
*Mirum est. Sese alii satagunt omni arte Potentum*  
*Inserere officiis, ingerere officiis.*  
*Publica fama scit id. Tu tractus ad ardua in Aulam*  
*Præter spem, præter mentis & arbitrium.*  
Cede

Cede DEO. DEUS est, statuit qui præmia justo:

Ille suos nunquam deseruisse potest.

Perpessus multa es, duris belliq; thyellis

Factatus. Stupui. nuper ubi illæ dabantur.

Te Martis rabies sursum tulit atq; deorsum:

Sensisti multas anticipitesq; vices.

Mens tamen invictum casus duravit in omnes:

Sorte in utraq; sui par similisq; fuit.

Muneribus virtus tua te majoribus aptat:

Ad latus ELECTOR te locat ecce suum.

Dii pia corda vident, & habent sua præmia justi:

Magna est Principibus Laus placuisse viris.

Noli adsperrnari hæc decreta latentia fati:

Cœci est, consilium vellere velle DEI.

Quò Deus & Princeps, & honos virtutis abire,

Quò te candor, abi, quò jubet integritas.

Aula foco similis, \* timide si acceſſeris, alges:

Sin tumidè ſteteris proximus, igne peris.

Noverat ELECTOR pietatem, noverat ille

Doctrinæ ſolidæ munera, mentis opes.

Noverat ille fidem: fidam ſecurus in aurem

Hinc AULÆ REDITUS credidit, ing; fidem.

Hæc tua laus propria eſt: non lentas neclere tricas:

Dicere ſed cuivis jus, dare cuiq; ſuum.

Semper es exofus, qui jus rus censet & aurum,

Cui mel in ore, fel in corde latere ſolet.

verbaq;

\*Hominis au-  
lici ſymbolū.  
Nec tumide,  
nec timide.

*Verbaḡ dat cautē, frontemq̄ serenat; & astu  
Occulto insidias qui tamen intus alit.  
Mens tibi longē alia est: Summis te fecit & imis  
Acceptum candor, dexteritasq; sagax.  
Ista Viri Magni vox est, & credita multis;  
Nec mibi, pro sensus indole, cas̄a fide est.  
Si tales multos Provincia nostra teneret,  
Næ melius staret SAXONIS AULA potens.  
Tanta fides dictis, labor est, industria, tantus  
(Sunt isthac magnæ mentis symbola) juris amor.  
O utinam possem meus esse, negotia paulum  
Differre, eloquerer pluria, vota darem.  
\*χολή, qvi. Irreqvieta \*qviæ mea non permittit id ipsum:  
es, otium. Herculis est decimus tertius iste labor.  
Si qua brevi (quod posse, animi sapientiæ habendum est),  
Res dici, paucis rem tibi dico, potest:  
Svada, Astræa, Charis, Virtutis Asylon honorant  
Te, Pietas ornat, te Themis alma colit.  
Gratulor & uoveo, quò multos sōpes in annos  
Vivas, sis felix officio ing, novo.  
Si voluisse satis, satis hæc devota voluntas:  
Si votum, votum hoc corde perennè dabo:  
Vive DEO. benè vive Duci, benè vive Camenis,  
Et Patriæ, atq; tuis, & benè vive mihi.  
Dii justas audite preces, atq; addite votis  
Pondera! SIT FELIX BRAUNIA HONORA DOMUS!  
F I N I S.*

Op. von. 110

Exquisit GmbH  
144 1VIII104

